



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUAMDIU FECISTIS VENERABILI SERVAE DEI COLUMBAE GABRIEL

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – «Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (*Mt* 25, 40). Singularis haec evangelica Iesu ac fratrum identitas peculiarem habuit congruentiam in vita Matris Columbae Gabriel, quae viginti sex annos (1874-1900) egit Domino dedita in vita monasteriali et totidem in vita activa, fratribus egenis prorsus serviens. Venerabilis haec Serva Dei Stanislao poli orta est, in Galicia Austriaca, die III mensis Maii anno MDCCCLVIII, a piis parentibus Rodulfo et Agnete Rawski, ad Polonicos nobiles agrorum possessores pertinentibus. Ad baptismalem fontem nomina ei indiderunt Ioannam Mathildem. Post ludum, scholas superiores frequentavit in claro Monialium Benedictinarum Leopoltinarum ephebeo, ubi celeriter assuevit ad austeram illam vitae rationem, cupidine impulsam se praeparandi quam optime ad Iesu serviendum in parvis ac iuvenibus. Eius studiorum exitus egregii fuerunt et anno MDCCCLXXVI iam praeceprix erat in ludo: amplum curriculum eam manebat, sed Dominus corde eius egebat eiusque intelligentia ut ad se multas traheret animas. Iam enim die XXX mensis Augusti anno MDCCCLXXIV candidum induit novitiae velum, Sororis Columbae nomine capto apud easdem Moniales Benedictinas, quae intra sacri coenobii parietes eam in laetitia et in virtute crescere viderant. Inuit ita, sanctum Benedictum sequens, suum perfectionis atque immolationis Domino iter in deprecatione, in silentio, in paenitentia pro sua et aliorum sanctitate. In suorum religiosae munium diligenti executione ea delectabatur pace, quam Iesus tantum tribuere potest. Brevi decursu temporis, ab anno scilicet MDCCCLXXXIX ad annum MDCCCXCVII, munera ei concredita sunt antistitae, dispensatricis, novitiarum magistrae, abbatissae. Totam seipsam dedit auctui materiali atque spiritali monasterii et pauperum auxilio qui, cotidie et numerosiores usque, ob duram socialem temporis condicionem, monasterii ostium pulsabant adiutorium quaerentes et victum. Etsi egregie sua sustinebat officia, falsas atque calumniosas subit interpretationes, propter quas inducta est ad suum monasterium relinquendum ac Romam petendam die XXI mensis Aprilis anno MCM, permissu Auctoritatis Ecclesiasticae Leopoltinae. Expectans dum Dominus novum eius iter illuminaret, Mater Columba non se in seipsam abdidit suis doloribus conficiendam, sed in vicis Prati ac Testaccio appellatis in catechesim tradendam incubuit, in assiduitatem praebendam aegrotis ac moribundis et in puerulos curandos custodiae expertes parentum in operibus versantium. Ad haec omnia se contulit usque ad annum MCMVIII, donec nempe Dominus eam voluit Conditricem Congregationis Sororum Benedictinarum a Caritate, necnon Operis socialis, Domus-Familiae appellatae pro puellis operariis pauperibus seu Solis, et a suis familiis longinquis. Venerabilis Serva Dei fuit eis missionaria, mater et famula, laborem comparans opere destitutis, qui eas praestaret tutas in tempus futurum. Cum puellis vitam communicavit omniaque eis obtulit, laeta in maxima paupertate ipsa vivere, dummodo illas felices redderet. Cum suis Sororibus non solum inter puellas operarias apostolatum explicavit, verum etiam inter aegrotos, puerulos, in paroeciis, quandoquidem «caritas Christi urget» semper, ubique et erga quemlibet. Clara sanctitatis fama mortem obiit die XXIV mensis Septembris anno MCMXXVI, Centumcellulis, quae pauperrimus tunc erant vicus

Romanus, ubi plenis manibus fructus profuderat suae caritatis inter egentium omne genus. Sororibus suis testamentum spirituale reliquit ut «suum munus exsequerentur cum fervore et amore» et «caritatem facerent in omnes». Fama sanctitatis perdurante, anno MCMLXXXIII initium cepit Canonizationis Causa. Rebus peractis iure statutis, die X mensis Iulii anno MCMXC coram Nobis promulgatum est decretum super Servae Dei virtutibus heroicis. Interim apud Curiam Patavinam actus est processus canonicus super mira coniecta sanatione, effecta in valetudinario oppidi Cittadella anno MCMLXXXII. Casu inspecto prospero cum eventu, die XXI mensis Decembris anno MCMLXXXII promulgatum est decretum super miro. Decevimus porro ut Beatificationis ritus die XVI mensis Maii insequentis anni celebraretur. Hodie igitur Romae, in Vaticana Basilica, inter sollemnem eucharisticam liturgiam, hanc pronuntiavimus formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Henrici Cardinalis Schwery, Episcopi Sedunensis, Francisci Garnier, Episcopi Lucionensis, Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana Dioecesi, et Peregrini Thomae Ronchi, Episcopi Civitatis Castelli, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Mauritius Tornay, Maria Aloisia a Iesu Trichet, Columba Ioanna Gabriel et Florida Cevoli Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Mauritiï Tornay die undecima mensis Augusti; Mariae Aloisiae a Iesu Trichet die septima mensis Maii; Columbae Ioannae Gabriel die vicesima quarta mensis Septembris et Floridae Cevoli die duodecima mensis Iunii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Quae autem statuta hic sunt, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibusvis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Maii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana